



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 58. Alia contentio inter S.R.I. Electores, & Burgundiæ Legatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A.C. 1433

nis, antequam Sabaudia in Ducatum erigeretur, Sabaudia Comites jam fuerint ac nuncupari consueverint Caballiaci & Augustæ Duces; merito igitur illis præferantur, qui posteriore tempore Ducis titulum accepissent. Quibus subjungebant, sibi priorem locum repetendi in saluum esse, si forte eorum Dux præcessionis instrumentum ratum non haberet. Nihilominus primæ Sedis prærogativam haud amplius obtinere poterant etiamsi Amadæus in quadam Epistola ad Concilium scripta graviter hac de re conquestus esset.

§. LVIII.

Alia contentio inter S. R. I. Electores, & Burgundia Legatos.

Haud dissimilis controversia oriebatur inter S. R. Imperii Electores, & Burgundia Ducis Legatos. Illi enim his cedere detrectabant, prout ex literis Sigismundi discimus, anno sequenti ad Synodum datis, in quibus Cæsar se summo pere gavisum esse testatur, quod Patres cautelæ loco *Imperii Archi-Principibus* (ita S. R. I. Electores appellat Sigismundus) sedes ab eis occupandas designassent, eamque contentionem cum Burgundia Duce feliciter composuissent. Quibus vero locus eorum Oratoribus assignatus

tus fuerit, Imperator non exprimit, sed Secul. XV.
 duntaxat testatur, quod A. C. 1433. *hujusmodi provi-*
sio ipsius Sacri Romani Imperii, ac ipso-
rum Archi - Principum honori expediat.
 Anno sequenti de eodem jure Burgun-
 diæ Ducis Oratores contendebant cum
 Legatis Britanniae Ducis; Synodus au-
 tem confecto desuper instrumento die
 quinta Julii publicato Burgundionibus
 dextrum latus designabat. Ast hæc i-
 psa sententia postmodum opera Turonen-
 sis Archiepiscopi, qui Concilio interfue-
 rat, revocata est. Silentio prætereo a-
 lias ejusmodi controversias Anglos inter
 & Castellanos motas, quas Patres, salvo
 utriusque partis jure, diremerunt.

§. LIX.

*De concordia Sigismundi cum Eu-
genio Papa.*

Interea Sigismundus diuturnioris moræ
 impatiens, quam a tanto tempore non
 sine gravibus civium impensis, Senis tra-
 hebat, & aliunde cum Florentinis pacem
 inire, eosve compescere posse desperabat,
 a Papa Eugenio Imperiali corona sole-
 mniter redimiri petiit; potissimum enim
 hac ex caussa in Italiam profectus est.
 Eugenius Cæsaris Legatos summis ho-
 noribus excepit, & die septima Aprilis
 cum eisdem statuit, ut Sigismundus vel

Hist. Ecclesiast. Tom. XXVII. G Vi-